



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Victoria V. & M. 23. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

flammis cum tribus filiis astris inserta. Hæc Helenā magis propitia navim ad littus appulit. Sed hem in portu alia tempestas insurgit ! ANASTASIA tribus palis alligata igne exuritur; socia turba omnis per diversa supplicia fortis animos expirat, eā in vultu & oculis lœtitiā, ut ad nuptias ire omnes dixisses. Et ibant, sed Agni; ituri porrò, quocumque hic iverit. quid? quod vestigia sua, quō nos etiam sequi sciremus , sanguine signarunt. Ex Metaphr.

*Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo quotidiana martyria Christianis deesse non posse. Si enim castitas & veritas & justitia Christus est; sic & ille, qui eis insidiatur, persecutor est; & qui ea in aliis defendere, & in seipso custodire voluerit, Martyr est.*  
S. August. serm. 250. de Temp.

## S. VICTORIA V. &amp; M. 23. Decembris.

**N**Empe nuptias VICTORIA parabat, nihil magis sollicita, quām ut ad easdem abhorrentem Anatoliam impelleret. Ajebat itaq; nuptias primos homines celebrasse, D E O ipso paronympho. Easdem sacrosanctas ab omnibus gentibus, etiam Christianis, habitas esse. Christum nuptias adiisse & miraculo probasse; ipsum adeò despondere sibi Ecclesiam voluisse. denique quid liberis & nepotibus dubitaret orbem implere, quando, ut hic cresceret, D E V S imperasset? Contra pugnabat Anatolia, in primâ mundi ætate hæc locum habuisse, cùm juvenem hunc crescere & impleri inquilinis opus erat. At nunc incolas non tam orbi quām cælo deesse. Christum non nisi è Virgine voluisse nasci , vivere morisque virginem voluisse, sponsum Ecclesiæ non nisi Virginis esse.

Neque

Neque verò se nuptias respuere, modò sponsus Deus esset. Videret ipsa, an hic terræ filio postponendus esset? Nuper adeò se ex Angelis didicisse (& didicerat) dotem huic unicè virginitatem placere, Eois lapillis omnibus chariorem. Itaque in hunc amores suos se transtulisse. Quòd si invaderet VICTORIA, paratam se esse etiam illi hunc conciliare. His & similibus dictis jam dudum parili amore VICTORIA in Christum ferebatur. Quò ergo eum sibi devinciret, misso homine, dotem in paronymphos pauperes profundit, & in exilium acta ad alteras jam nuptias se parat. Jamq; unica purpura nuptialis deerat. Bonum factum! dedit hanç sanguis pro sposo fusus. Ex Adone & Aldelmo.

*Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hasisti. Quis dabit tibi pennas ut columba? quando volabis? ubi verè requiescas, quando hic, ubi male hasisti, perversè requiescere voluisti?* S. August. serm. 33. de verb. Dom.

S. NICOLAUS MILES. 24. Decembri.

**H**Anc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quam triumphos suos vendere? NICOLAO nostro crede, qui cùm in Bulgaros movit Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter NICOLAVS repulit verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnari victoram canere, solus ex omni exercitu Nicephori viator. Etenim sub noctem somnus NICOLAVM in campum producit; videt stantes utrimq;